



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De Pighardis Vvaldensibus, cap. 36.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

38
 Synagoga illa Satanæ, ex celeratissimis Sophi-
 stis congregata. Et in faciem tuam (inquit)
 sanctissime vicarie Dei tibi liberè dico, om-
 nia damnata Ioannis Hufs, esse Euangelica &
 Christiana, tua autem omnia prorsus impia &
 Diabolica. Hæc ibi. Nec his furiis & blasphe-
 miis contentus, maximè virulentum, & im-
 pium ac hostilem in Romanam Ecclesiam li-
 brum scripsit, postea ad Senatum Pragensem,
 sed parum gratiæ retulit. Si enim veniret Pra-
 gam, nihil certius ibi expectare posset, quam
 vltrices flammæ & palum acutum. Nunc co-
 gita tu (Illustriss. Princeps) quam honorifi-
 cum tibi futurum sit, vel apud Cæsaris Maie-
 statem, vel in generali Concilio, stare à parte
 Lutheri, quem & Hufsita, & Pighardi quoque
 ac omnes Hæretici antiqui, tum & noui Suer-
 meri sui reiiciunt & condemnant.

De Pighardis Vvaldensibus.

CAPVT XXXVI.

De decem
 præceptis
 cap. I.

IN Hæreticos istos maximè Barbaros plæ-
 runque inuectus est Lutherus, antequam in
 profundum peccatorum venit. Sic enim scri-
 psit in Declamationibus decem præceptorum.
 Verùm (inquit) ne Pighardi, Hæretici infæli-
 ces, suas partes à me adiutas confidant. Qui
 præ nimia ruditati nobis Theutonicis (super-
 bissimo fastidio indignati) imponunt, quod

Sanctos Dei colamus, & idola faciamus. Et ideo contra nos aceruum versuum scripturæ congregant, in quibus prohibetur, ne adoret quis nisi vnum Deum. Et vt nobis apud suos iustissimam inuidiam conflare videantur, insidiosissimè omittunt, quod scribitur Rex David & Salomon, & multi alij adorati, simul impij peruersores scripturæ, & subdoli calumniatores pietatis nostræ. Ita enim rustici illi, nos tandem docent, quod solus Deus sit adorandus, & gloriantur, ac si nos id ipsum negauerimus vnquam, cùm tamen negare non possint, frequenter Aulicos Regios honorari ac velut adorari, vt facilius ad Regē perueniatur. Propter horum itaque rudissimam & insultissimam rusticitatem, dico ego, Ad sanctorum suffragia recurrendum omni modo, sicut in Iob dicitur, Et ad sanctorum aliquem conuertere, &c. Et in Resolutionibus suis de alio

rursus errore arguit eos, dicens. Nihil de igne & loco Purgatorij loquor, non quod ea negē, sed quod alia est illa disputatio. Interim cùm B. August. remaneo (inquit) scilicet quod receptacula animarum abdita sint & remota à cognitione nostra. Quæ ideo dico, ne Pighardus hæreticus, in me tibi videatur obtinuisse, Purgatoriū non esse, quia locum eius ignotum esse cōfiteor, aut ideo Rom. Ecclesiam errare, quia opinionem B. Thomæ non explodit, qui locum illum sub terra esse putat. Mihi certissimum est, Purgatorium esse, nec multum me

*In Resolu-
tione conclusio-
nis 15.*

mouet, quid blaterent hæretici, quando iam mille & plus centum anni sunt, quod B. Aug. in suarú Cōfess. libro nono, pro matre & patre suo orat, & orandum petit. Et eadem sancta mater eius moriens (vt ibi scribit) memoriam sui optauerit ad altare domini. Sed & à B. Ambrosio id factum narrat. Quam si etiam tempore Apostolorum non fuisset purgatorium (vt superbit fastidiosus Pighardus) nunquid ideo credendum est hæretico, vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot sæculorum falsam fuisse contendendum? maximè cum ipse nihil aliud faciat, q̄ quod dicit, nō credo, & sic probauit omnia sua, & improbauit omnia, nostra quasi non & lignum & lapis non credant. Hæc ibi, Et infrà in alio loco, Hæc ideo (inquit) Commemoro, ne Pighardi, nostri vicini, hæretici, infælix populus, fœtore Romano gaudeant, sicut Pharisæus super publicanum, non autem cōpatitur, ne inquam, illi nos crederet nescire vitia & labes nostras, & immensū aduersus nostam miseriam superbirent, si nos ista tacere & approbare videremur. Scimus heu nostrum casum & dolemus, non autē, sicut hæretici fugimus, & semiuiuum transimus, tanquam alienis peccatis pollui timeamus. Quo furioso timore illi sic timent, vt non pudeant gloriari, sese ideo fugere, ne polluantur. Tanta est charitas. Nos verò, quò miserius laborat Ecclesia, eò fidelius assistimus & accurrimus, Flendo, orando, monendo, obse-

*Ibidem, Cō-
clu. 80.*

erandò. Sic enim christianitas iubet, alterum alterius onera portare, &c. Haud dissimilia scripsit & in Galatis suis. Rursus in Psalmi *Super Psal.* cix. expositione sic ait. Qui separant se à malis, faciunt sicut Pighardi in Bohemia, miseri hæretici, qui à malis Christianis fugiunt, & ad seipsos in angulum repunt. O blasphematores Dei & proditores Christi: Si Christus fecisset, vt vos facitis, quis vnquam saluatus esset? Hæc & id genus plura passim in scriptis suis opprobrauit hæreticis istis ante contumaciæ suæ lapsum. Post verò, perfrecta fronte, omnia ista, quæ reprobauerat, collaudauit, ac repentè, mutata sententia, scripsit in Syluestrum, Beata Bohemia, beata Græcia, Beati omnes qui sese à Rom. Ecclesia separauerunt, & de medio Babylonis exierunt, nunquam reuersuri. Deinde omni pudore abiecto, blandissimè scripsit ad ipsos contra Ecclesiam, dicens: Memini quidem vos à me olim Hæreticos appellatos, tunc cùm adhuc nõ nihil tribuerem Papæ, nunc verò aliter erga vos affectus sum. Et infrà, Non ideo vos (inquit) accusabo protinus hæreseos, more Sophistarum, quod neque virginem Mariam, neque vllum sanctum inuocatis. Neque enim quicquam de mortuis sanctis proditum est in scripturis, & incõfesso est, hac stulta & superstitiosa inuocatione sanctorum, eo redactos esse homines, vt ex Maria & reliquis sanctis, mera Idola fecerunt. Et rursus, Quòd negatis

109.

*Contra Re-
plicas Syb-
uestri Pra-*

*In lib. ad
Vvaldenses
de Eucharis-
tia.*

(inquit) Purgatorium, & damnatis Missas, Vigiliis &c. per omnia Ecclesiam probo. Neque quisquam astringitur ad credendū, esse purgatoriū, cum de hoc nihil sit in scripturis. Et infra, De vobis (inquit) polliceor meliora quam de Papistis, nempe vos non tāta arrogātia, tāta peruicatia contra itūros veritati, quare & eò liberius vos monebo. Et infra, Hoc quoque improbo (ait) quod more Papisticæ septem ponitis Sacramēta, cum tamen scriptura tantū duo norit, Baptismum & Eucharistiam. Non est autem ferendum, vel humana inuēta æquemus constitutionibus diuinis. Ad hæc, non poteritis bona conscientia vllam traditionem humanam reiicere, præcipuè Papæ, si vnam approbaueritis, aut dederitis esse necessariam ad salutem. Rursus, Hoc (inquit) cum Evangelio pugnat, quod Episcopos, concionatores & Diaconos vestros à coniugio arcetis. Item, Cū sciatis vos in toto orbe hæctenus tanquā pestilentissimos hæreticos proclamatos, hęc testimonium vobis perhibere volui, quod propius accedatis ad puritatem Evangelij, quàm omnes alij, quos ego cognouerim. Quomodo tibi hæc, obsecro (Illustriss. Princeps) placent? Si ea legisti vnquam, & non vindicasti, non eris infons nec Deo, nec eius Ecclesiæ, à tot sceleribus, quibus defertor iste & fidem, & religionem, omniāque sacra nostra prodit pestilentissimis (vt ait ipsemet) hæreticis. Quibus tamen ipse multò adhuc pestilentior est:

est:

est: Illi enim non separant animam & diuinitatē Christi à corpore & sanguine eius in Sacramento, vt ipse facit, non negant septem sacramenta, non reprobant bonorum operum merita, non dant vxores Episcopis, presbyteris, Diaconis & Monachis, vt facit impurissimus iste Epicurus, imò Iouinianus Vvittembergensis. Qua igitur fronte stabis à parte eius, vel in Concilio, vel in Senatu Imperiali? quem Husitæ quoque, & Pighardi, velut impurissimum Idolum Moloch, & obscœnissimum ventris animal, cucullatūque Priapum fugiunt, detestantur, condemnant? Memento semel (Illust. Princeps) quàm miserè sis ab eo deceptus, vnde excideris, vt redeas agāsque pœnitentiam, ac prima opera facias, ne candelabrum tuum moueatur de loco suo.

De Hæreticis & Schismaticis in genere.

CAPVT XXXVII.

AV disti iam (Illust. Princ.) quæ charos habeat Lutherus Pighardos, quos totus orbis (vt ipse-met ait) pestilentissimos vocat hæreticos, licet ab illis nullis laudibus, aut blanditiis impetrare potuerit, vt doctrinā, aut sectā eius approbent, aut recipiant. Quod & à Senatu Pragēsi nullis vel scripturis & suasionibus, vel

M